

tum Civitatis Civiumque conservatio procuretur. Altefatae Suae Majestati Sacratissimae Domini Status et Ordines humillime repraesentandum disposuerunt: se quemadmodum in praemissa altefatae Suae Majestatis Sacratissimae ad publicam peculij hujus Varasdinensis utilitatem tendente, et per modo fatum Benignum Mandatum manifestata intentione maternam venerarentur Clementiam, ita nunquam omnino admissuros fuisse, ut ejusdem per Cameram Poseniensem ordinatus effectus ex parte Fisci Regni quoquo modo impediatur; nisi priusquam de hac Benigna Suae Majestatis Sacratissimae intentione quidpiam constitisset, ex decreto antelatae Camerae Poseniensis de 21. Martij Anni fluentis ad mox dictae Civitatis Magistratum emanato informati exstitissent, dimensionem hanc et Conscriptionem terreni ad ejusdem Magistratus Civici pro objecto exoperandae dimensionis et conscriptionis hujus longe aliud, quam procurandam onerum proportionem habentis Instantiam non tam ex ratione hujus proportionis instituendae, quam eo fine ordinatam exstitisse, ut nova, hactenus per Cives non supportata, ut juris montani, aliaque et ex ijs quaeipiam, vel quoad Nomina et titulos impositionum in hoc Regno ignota, absque ullo discrimine conditionis possidentium, idque in simplici via facti imponantur onera. Hujusmodi intentione et dispositione Camerae fide digne intellecta, iidem Status et Ordines eo magis ipsi obviandum censebant, quod facta per Suam Majestatem Sacratissimam occasione Benigni Diplomatis Regno huic Clementissime concessi Liberarum et Regiarum in ambitu Regni hujus existentium Civitatum pro subsidio reliquae contribuentis plebis cessione, taliterque fundo eorundem pro fundo exolutionis Militiae Confiniorum assignato, existimaverint, ex munere sibi incumbente in id se intentos esse debere, ne hic fundus novis et insolitis oneribus qualitercunque et quibuscunque respectibus extenuetur, taliterque reliqua contribuens plebs, alioquin sub actuali onere fatiscens, cum praejudicio etiam Cassae Militaris, ad altissimum Servitium destinatae, majori onere onerari debeat, adeoque ad id, quod ipsi impositum est, porro ferendum, inhabilis omnino reddatur. Ex cujusmodi duplicis ordinis, tum conservationis contribuentis plebis, novis oneribus ne in via quidem juris tanto minus facti gravari queuntis, cum et praemissarum Liberarum et Regiarum Civitatum per Benignum Diploma pro fundo alleviandae reliquae contribuentis plebis factae cessionis et assignationis, sperarent fore, ut Sua Majestas Sacratissima praerepetitam Cameram ita Benigne instruat, ne praemissam in praeallegato Benigno Mandato Clementissime insinuatam mentem et intentionem in minimo excedat; adeoque ab impositione quorumvis hactenus per Cives non supportatorum onerum absteineat.

Articulus Quintus.

Pro Ablegato, sine avertendi ex translatione Cassae Militaris e medio Regni ad jurisdictionem Generalatus Varasdinensis impendentis Inclyto Regno praejudicij ad Suam Majestatem Sacratissimam ordinato, elaboranda instructio ordinatur.

Ex Communicatione duplicis ordinis rescripti via Consilij Aulae Bellici ad Suam Excellentiam Dominum Comitem Banum emanati, intellecto eo, quod Excelsum Aulae Bellicum Consilium Cassam Militarem, pro Exolutione Militiae Confinariae Banalis destinata, hactenusque sub inspectione Commissarij Bellici Zabrabiae in Meditullio Regni conservata, ad jurisdictionem Generalatus Varasdi-